

Distinctio XXVIII

/Vb 308va; X 639a/ “Praeterea considerari oportet”, etc. Postquam Magister determinavit de tribus proprietatibus constitutivis personarum, quae prout visum est diversis vocabulis exprimuntur, hic agit de quadam proprietate negativa personae Patris, quae dicitur innascibilitas. Et circa hoc duo facit. Primo enim agit de ingenito quod competit Patri. Secundo vero de sapientia nata vel genita, quae convenit Filio. Secunda ibi: “Sciendum quoque est”.

Circa primum duo facit. Primo namque de proprietate seu notione ingeniti determinat. Secundo vero ex determinatis eliminat versutiam* Arianam. Secunda ibi: “Illud etiam taceri non oportet”.

Circa primum tria facit. Primo enim determinat de proprietate sive notione quam designat ingenitus, dicens quod alia notione dicitur Pater ingenitus, et alia Pater vel Genitor, quod patet tum quia dato quod non genuisset Filium, nihil prohiberet ipsum dici ingenitum, et etiam e converso, non ex hoc quod genuit est ingenitus, multi enim homines non generant qui tamen geniti sunt et multi generant qui geniti sunt; tum quia in quantum Genitor dicitur ad Filium, in quantum autem ingenitus non dicitur ad ipsum, immo nec ad aliquid, sed ordo ad alterum priorem se negatur. Unde ‘ingenitus’ non significat quid sit Pater, sed quid non sit. /X 639b/ Addit autem Magister quod nihilominus dicitur relative, sicut et genitus, quia affirmatio et negatio pertinent ad idem genus.

Secundo ibi: “Ideo solet quaeri”. Magister agit de non genito, dicens quod consuetum est dubitari an, sicut solus Pater dicitur ingenitus, ita solus dici possit non genitus, vel non Filius; et respondet quod aliquibus hoc videtur, scilicet quod Spiritus Sanctus, sicut non est ingenitus, ita dici non possit non Filius vel non genitus, quamvis credi debeat quod nec est Filius nec genitus. Aliis tamen videtur et melius quod Spiritus Sanctus, licet non possit dici ingenitus, possit tamen congrue dici non genitus vel non Filius.

Tertio ibi: “Si autem vis scire.” Inquirat Magister nomen proprietatis illius secundum quam dicitur Pater ingenitus; et re-/Vb 308vb/-spondet quod Augustinus et Hilarius vocant eam ‘innascibilitatem’.

Postmodum ibi: “Illud etiam taceri”. Respondet Magister cuidam versutiae Arianae; et facit duo. Primo enim respondet argumento Arianorum, qui nitebantur Patrem et Filium alterius substantiae ostendere, pro eo quod ille ingenitus et iste genitus dicitur; et respondet secundum Ambrosium quod nomen ingeniti nusquam legitur in scripturis.

Secundo ibi: “Praeterea quaeri solet”. Respondet secundum veritatem, dicens quod sicut esse Patrem et esse Filium non inducit diversitatem essentiae, sed aliam et aliam notionem, sic esse genitum et esse ingenitum; unde cum arguebant Ariani quod diversum est esse genitum et esse ingenitum, haec diversitas debet intelligi relativa, et non substantialis. Et haec est responsio Augustini.

Postmodum ibi: “Sciendum quoque est”. Agit Magister de hoc nomine, sapientia nata vel genita, quae soli Filio congruit; et facit duo. Primo enim dicit quod sapientia genita eandem notionem importat /X 640a/ quam Verbum et Imago, et debet sic exponi: sapientia genita, quod Filius est hypostasis genita, quae vere est sapientia, non quod ipsa sapientia generetur, sicut nec essentia, quemadmodum alias dictum fuit; ex quo patet quod Verbum in divinis non emanat ut intellectio actualis, quia tunc generaretur sapientia et intellectio ipsa.

Secundo ibi: “Illud etiam”. pro eo quod locutus fuerat de imagine, ostendit Magister quod non semper sumitur relative pro notione verbi, immo aliquando significat substantiam, ut cum dicitur homo factus ad imaginem Dei.

Haec est sententia.

Utrum innascibilitas sit proprietas constitutiva Patris.

Et quia Magister hic agit de notione ingeniti et innascibilis, idcirco inquirendum occurrit utrum innascibilitas sit proprietas constitutiva Patris. Et videtur quod sic. Persona namque Patris oportet quod constituatur per aliquam proprietatem quae sit in ea. Sed non potest constitui per communem spirationem, alioquin resultaret una communis persona Patri et Filio. Nec per

paternitatem, cum paternitas sit posterior quam generare, super quod fundatur; generare vero sit
 55 posterius persona Patris a qua intelligitur elici et profluere. Ergo necesse est quod per
 innascibilitatem constituatur, cum non sit alia proprietas in Patre ultra paternitatem et
 spirationem activam.

Praeterea, proprietas ad dignitatem pertinens adveniens primo essentiae constituit personam.
 Sed innascibilitas ad dignitatem pertinet, sicut patet; advenit etiam primo essentiae quam
 60 paternitas, quia filiatio et paternitas tamquam correlativa sunt simul natura et intellectu, et per
 consequens innascibilitas esset posterior filiatione, et ita communicaretur Filio, cum esse Pater
 posterius filiatione communicetur sibi; unde restat quod innascibilitas non sit posterior
 paternitate, immo sit prior ea, ergo prima persona constitueretur per innascibilitatem.

Praeterea, primum suppositum debet constitui per proprietatem quae maxime paternitatem
 65 importat. Sed innascibilitas est huiusmodi, plus est enim de ratione primi quod non sit ab alio
 quam quod ab ipso sit aliud; unde ultimum in resolutione est primum in compositione;
 resolvendo autem statur in innascibili, qui non est ab alio pri-/Vb 309ra/-ore[m]; non statur
 autem in Patre, quia Pater esse potest ab alio. Ergo innascibilitas constituit primum suppositum
 et primam personam.

70 Praeterea, Augustinus dicit, V *De trinitate*, capitulo 6, quod si Pater non genuisset, nihil
 prohiberet eum dici ingenitum; quaerendum est ergo quid ingenitum esset, aut enim persona
 ingenta aut essentia. <Sed non posset dici essentia> [sed non ... essentia om. Vb] ingenta,
 prout ingenitum dicit proprietatem Patris, non enim innascibilitas de essentia praedicatur; nec de
 Filio aut Spiritu Sancto, ut Magister dicit in littera. Ergo esset persona ingenta, et per
 75 consequens constitueretur per ingenitum vel per innascibilitatem.

Praeterea, prima persona debet constitui per proprietatem quae magis pertinet ad dignitatem
 ipsius. Sed innascibilitas magis exprimit dignitatem personae primae quam paternitas, dignius
 enim est habere aliquid non communicatum alteri quam alteri communicatum, et dignius est non
 esse ab altero quam alterum esse ab eo; unde maioris dignitatis est in Deo quod est a nullo
 80 creatus quam quod /X 640b/ creaturae causentur ab eo. Innascibilitas autem exprimit circa
 Patrem quod non sit ab alio; paternitas vero quod aliud sit ab eo. Ergo innascibilitas magis
 constituit quam paternitas, cum exprimat perfectius dignitatem primae personae.

Praeterea, in omni genere primum est absolutissimum. Sed prima persona non esset
 absolutissima in divinis, si paternitas constitueret eam, immo aequae dependeret ad Filium, sicut
 85 e converso, cum relativa posita se ponant, et perempta se perimant. Ergo necesse est quod prima
 persona divina constituatur per proprietatem aliam a paternitate, et ita per innascibilitatem, cum
 non possit alia reperiri, secundum quam sit independens.

Praeterea, omne quod non est ab alio a quo tamen aliud est, prius intelligitur non esse ab alio
 quam aliud esse ab eo, in omni enim primo essentialior est negatio prioris quam ordo
 90 antecedentiae respectu posterioris. Et confirmatur quia in habente ordinem ad antecedens et
 subsequens, prior est ordo ad praecedens, sicut patet quod in Filio ordo ad Patrem, quem filiatio
 importat, est prior respectu ad Spiritum Sanctum, quem importat spiratio. Quare secundum hoc
 negatio ordinis ad praecedens videtur esse prior quam ordo ad subsequens, affirmatio enim et
 negatio sunt in eodem gradu. Sed constat quod innascibilitas negat in Patre ordinem ad
 95 praecedens; paternitas vero ordinem ponit ad subsequens. Ergo persona Patris est per prius
 innascibilis quam Pater, et per consequens innascibilitate constitueretur.

Praeterea, si innascibilitas primam personam non constitueret, hoc esset quia puram
 negationem dicit et nihil positivum. Hoc autem non impedit, quia quamvis in modo significandi
 videatur quid negativum, nihilominus realiter positionem et affirmationem importat, tum quia
 100 dicit fontalem primitatem; tum quia esse in se est modus essendi substantiae positivus, quare
 esse a se erit modus subsistendi positivus in Patre; tum quia esse ab alio dicit modum positivum
 in Filio, non est autem minoris dignitatis esse a se quam ab alio; tum quia esse a se non videtur
 aliud dicere quam habere sufficientiam subsistendi sine alio, hoc autem est valde positivum.
 Ergo innascibilitas constituit personam primam.

105 Praeterea, eadem proprietate persona Patris constituitur et distinguitur. Sed distinguitur per
 innascibilitatem, dicit enim Damascenus, libro I, capitulo 10, quod omnia quaecumque habet

Pater Filii sunt praeter non-generationem, quae non significat substantiae differentiam sed
 existantiae modum; et infra, omnia habet /Vb 309rb/ Filius propter Patrem – hoc est quia Pater
 habet ea – praeter ingenerationem et generationem et processionem; et capitulo 11 subdit quod
 110 Pater et Filius et Spiritus Sanctus secundum omnia sunt unum praeter ingenerationem et
 generationem et processionem. Ergo persona Patris per innascibilitatem constitui videtur.

Quod innascibilitas non constituat personam Patris. Sed in oppositum videtur quod
 innascibilitas non sit proprietas constitutiva Patris, quod enim non est proprietas, non est
 115 constitutiva proprietas. Sed innascibilitas non est Patris proprietas, cum competat essentiae et
 Spiritui Sancto. Ergo non est proprietas constitutiva Patris.

Praeterea, personae in divinis constituuntur proprietatibus per se relativis. Sed innascibilitas
 non est relatio nisi per reductionem, sicut reducitur /X 641a/ privatio ad habitum, et ad
 affirmationem negatio; ergo personam Patris non constituit innascibilitas in esse suppositum.

120 Praeterea, prima persona constituitur formaliter aliquo positivo. Sed innascibilitas nihil
 ponit, sed negat, secundum Augustinum, V *De trinitate*, capitulo 6, qui ait quod cum ingenuus
 Pater dicitur, non quid sit, sed quid non sit dicitur. Ergo non potest constituere primam
 personam.

125 **Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo
 namque inquiretur de innascibilitate, an significet formaliter aliquid positivum. Secundo vero
 quid sit illud super quod fundatur negatio quae per innascibile importatur. Tertio quoque an
 primam personam constituat. Quarto vero inquiretur an saltem sit notionalis proprietas in
 persona Patris.

130

Articulus Primus

Opinio aliquorum. Circa primum ergo considerandum quod aliqui dicere voluerunt
 innascibilitatem significare formaliter aliquid positivum, utpote esse a se; sicut enim infinitum
 vel indivisum significatur privative, et tamen realiter dicunt modum positivum, sic
 135 intelligendum est de non esse ab alio, dicit enim esse a se. Haec autem opinio fulciri potest
 rationibus tactis in penultimo argumento superius arguendo ad partem affirmativam inducto.

Sed iste modus stare non potest, quia si innascibilitas importat aliquid positivum, aut illud est
 absolutum, aut relatio ad non genitorem, aut relatio ad Patrem, aut relatio ad Filium et Spiritum
 Sanctum. Sed non potest dici quod significet aliquid absolutum, quia omne tale est commune
 140 tribus secundum Augustinum; et iterum esse a se non importat modum absolutum, cum non
 possit intelligi nisi idem secundum rationem dividatur in duo, cum dicitur aliquid esse a se. Nec
 potest dici quod relationem importet ad non genitorem, quia ad id quod non est relatio esse non
 potest; unde magis potest dici quod significet [relationem negationis] negationem relationis ad
 genitorem quam relationem ad non genitorem, ut negetur relatio, non terminus. Nec potest dici
 145 quod significet relationem personae primae ad Filium vel Spiritum Sanctum, quia cum non sit
 alia relatio primae personae ad eos nisi paternitas et spiratio, sequeretur quod innascibilitas
 significaret paternitatem et spirationem, et ita non esset notio disparata ab eis – cuius oppositum
 sancti dicunt. Nec potest poni quod dicat relationem ad ipsammet personam, quia eiusdem ad se
 non est relatio realis; unde esse a se non dicit esse positive a se, alias sequeretur quod idem
 150 produceret se. Ergo nullo modo dici potest quod innascibilitas significet formaliter aliquid
 positivum, pro /Vb 309va/ eo quod importat esse a se. /X 641b/

Opinio aliorum. Propterea dixerunt alii quod innascibilitas non dicit solam negationem, immo
 aliquid positivum, videlicet fontalem plenitudinem vel principium totius Deitatis, vel
 155 universalem auctoritatem originis omnium personarum.

Sed nec istud poni potest, dicit enim Hilarius, IV *De trinitate*, quod genitus est ab ingenito
 proprietate in unaqueque servata, innascibilitatis scilicet originis; et Augustinus, V *De trinitate*,
 capitulo 7, dicit quod non ideo est Pater quia ingenitus; ex quibus colligitur quod innascibilitas
 est notio disparata a paternitate et communi spiratione. Sed si importaret principium universale

160 aut fontalem originem personarum non esset notio disparata a paternitate et spiratione, immo
esset utrumque concludens, cum Pater sit principium Filii per generationem et per spirationem
Spiritus Sancti. Ergo huiusmodi fontale principium non importat.

Opinio aliorum. Quapropter dixerunt alii quod puram negationem generationis importat, quae
165 videtur esse mens Augustini, V *De trinitate*, capitulo 8, qui dicit quod cum dicitur Pater
ingenitus, hoc ostenditur quod non sit Filius.

Sed nec iste modus est congruus, tum quia de omni dato dicitur affirmatio vel negatio, non
est <autem> verum de Spiritu Sancto quod sit nascibilis vel innascibilis; tum quia negatio potest
170 praedicari etiam de non ente, unde haec est vera ‘chymera est non videns’, et tamen non est
verum quod sit ingenita vel innascibilis.

Opinio Durandi et Hervaei. Et ideo dixerunt alii quod non significat puram negationem, sed
privationem, sicut caecitas; non enim quaelibet negatio est privatio, sed negatio in subiecto apto
nato; potest autem <subiectum> [beatum* Vb] intelligi esse aptum vel idem in numero, sicut
175 Sortes caecus est aptus natus videre, vel secundum genus, sicut talpa est caeca, quia animal est
aptum natum videre, vel secundum communitatem entis, quia est aptum natum inesse alicui,
sicut lapis dicitur mortuus privative. Nunc igitur innascibilitas non importat privationem in
subiecto apto nato generari manens idem in numero, illud enim diceret imperfectionem in Deo,
sed in subiecto apto nato secundum genus, pro eo quod aliqua persona divina est apta nata
180 generari, et si non illa quae ‘innascibilis’ dicitur; accipitur autem hic ‘ingenitum’ non solum pro
privatione generationis proprie dictae, sed generaliter pro negatione omnis productionis
passivae, sive pro non esse ab alio, et hoc modo competit soli Patri.

Sed nec iste modus competens est, quoniam ingenuus et improductus et innascibilis, si
teneantur adiective, vere de essentia praedicantur; unde haec est vera: quod essentia est res
185 improducta, et res ingenua, et res innascibilis, sicut et res increata. /X 642a/ Nec potest dici quin
ingenitum et improductum, prout de essentia praedicantur, teneantur negative tantum, et non
privative, quoniam aliqua essentia est genita et producta, et ita privatur ab essentia divina quod
competit alicui essentiae; sed manifestum est quod innascibile et ingenuum prout sunt notio in
divinis non praedicantur de essentia; ergo non tantummodo sumuntur privative.

190 **Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur, ubi
considerandum est quod ingenuum vel innascibile, prout est notio in divinis, non sumitur
adiective sed substantive; substantivum autem significat substantiam cum /Vb 309vb/ qualitate,
unde significat suppositum qualificatum aliqua qualitate positiva vel privativa: positiva quidem,
195 ut homo, negativa vero, ut si Deus appelletur substitutive, et cum articulo ly ‘immensus’; unde
substantivum significat suppositum in recto, qualitatem vero affirmativam vel negativam
denominative et in obliquo; sic igitur ingenuus et innascibilis, prout tenentur substantive et sunt
notionalia in divinis, significant quidem suppositum qualificatum per privationem omnis
productionis passivae; et secundum hoc praedicatur de solo Patre. Innascibilitas autem in
200 abstracto significat privationem huiusmodi, non circa quodcumque aptum natum produci
secundum genus suum (quia secundum hoc de divina essentia diceretur, cum aliqua essentia sit
apta nata creari et produci), sed significat privationem huiusmodi circa suppositum aliquod
indeterminatum; nec significat tantummodo privationem omnis passivae productionis in actu,
sicut caecitas designat privationem visus, non aptitudinalem, sed actuale, sed significat
205 privationem cuiuscumque aptitudinis ad produci, propter quod dicitur innascibilitas, nomina
enim talia privationem aptitudinis important. Et si dicatur quod divina essentia est apta nata
produci saltem per modum formalis termini vel subiecti secundum aliquos, dicendum quod
nullo modo producitur, sed tantum communicatur, ut ostensum est supra.

Et in hoc articulus primus finitur.

210

Articulus Secundus

Super quid fundetur privatio per innascibilem et ingenitum importata. Opinio quorundam. Circa secundum autem considerandum est quod aliqui dicere voluerunt negationem importatam per innascibilitatem fundari super essentiam ut non ab alio. Quod patet, tum quia si non esset in divinis distinctio personarum, sed unum tantum suppositum, illud esset ingenitum, quia haberet essentiam non ab alio; tum quia per non habere essentiam ab alio, sufficienter Pater distinguitur a Filio et Spiritu Sancto, qui habent eam ab alio. Et per consequens ingenitum quod est proprietas et notio distinctiva sufficienter fundatur in essentia ut non ab alio.

215 Sed iste modus dicendi stare non potest, quia /X 642b/ vel per ingenitum seu innascibile intelligitur negatio quae fundetur super essentiam ratione negationis quam importat non esse ab alio, aut intelligitur quod ingenitum negationem aliam non significat nisi non esse ab alio, et quod illa super essentiam immediate fundetur. Sed non potest dari primum, quia non esse ab alio, et ingenitum seu improductum idem sunt; idem autem non est ratio fundandi se ipsum, nec in privativis nec in positivis. Non potest etiam dari secundum. Tum quia omnis propria negatio requirit propriam affirmationem, quod enim homo non sit leo, oritur ex hoc quod est rationalis, et si non esset positivum aliquod in homine quod non esset in leone, non esset vera ista negatio leonis ab homine; cum ergo essentia communis sit Patri et Filio, Filius autem sit ab alio, Pater vero a nullo, non potest dici quod nec negatio super nudam essentiam fundetur. Tum quia 230 communicata essentia, necesse est communicari omne quod fundatur in ea, sive sit positivum (ut velle et intelligere) sive privativum (ut infinitum, immensum); constat autem quod Filio /Vb 310ra/ communicatur essentia, et tamen non ingenitum sive non esse ab alio; unde patet quod haec negatio immediate super essentiam non fundatur, praesertim quia si non esse ab alio ad essentiam referatur, hoc non est Patri proprium, cum nec in Filio nec in Spiritu Sancto essentia 235 capiat esse ab alio, cum sit totaliter improducta; si vero referatur non ad essentiam, sed personam, iam non fundatur immediate super essentiam, sed super aliquid quo formaliter est suppositum et persona; ergo impossibile est innascibilitatem super essentiam immediate fundari.

Opinio Hervaei. Propterea dixerunt alii quod fundatur ista privatio super universalem auctoritatem principii omnium qualitercumque producibilium vel productorum; super illud enim fundatur innascibilitas, per quod repugnat alicui esse ab alio, cum innascibilitas privationem dicat eius quod est esse ab alio <circa subiectum non quidem aptum natum esse ab alio> [circa subiectum ... alio *om. per homeo. Vb*], quia huiusmodi privatio non sumitur pro carentia eius quod natum est inesse carenti, secundum quod natum est inesse alicui, quamvis non illi quod dicitur esse privatum. Sed manifestum est quod ex universalitate principii omnium producibilium et productorum repugnat supposito quod est huius esse ab alio, si enim ponitur esse ab alio, iam non est principium omnium producibilium et productorum, quia non sui ipsius, cum nihil producat se; ergo super universalitatem principii omnium productorum et producibilium fundatur privatio per innascibilitatem importata. Unde innascibilitas non dicit 250 formaliter huiusmodi universalitatem principii: tum quia non esset distincta notio a paternitate et spiratione, in quantum diceret principium personarum; tum quia non esset notio in quantum exprimeret principium creaturarum, cum esse creatorem sit commune tribus, sed fundamentaliter huiusmodi universalitatem importat quam aliqui vocaverunt fontalem fecunditatem vel omnimodam primitatem. /X 643a/

255 Sed nec iste modus rationabilis est, illud enim quo circumscripto adhuc remanet quid innascibile non est fundamentum innascibilitatis. Sed circumscripta universalitate productivi principii respectu omnium qualitercumque producibilium vel productorum, adhuc potest intelligi aliquid innascibilie vel improductum, sicut supra ostensum est de philosophis quod intellexerunt primum principium improductum; nec tamen certum extitit apud eos quod esset omnium producibilium principium effectivum. Ergo non est verum quod esse ingenitum super 260 universalitatem principii productivi sive principiacionis fundetur.

Nec motivum procedit, peccat enim per fallaciam consequentis. Quod enim sit aliquid improductum potest contingere et quia illud producibile omne producit et quia nihil producit; unde producere vel non producere videtur sibi accidere in quantum non productum, stat enim

265 cum improducto, et omnia producere et nihil producere, ut dictum est, quamvis ex hoc quod est omnium productivum sequatur quod sit improductum.

Opinio Durandi. Et idcirco dixerunt alii quod non potest dari ratio univoca et communis, quare ingenitum competat absolutis et relativis. In absolutis non competit ratione universalitatis seu
270 primitatis principii, quoniam isto excluso, adhuc posset aliquid absolutum intelligi improductum; congruit igitur absoluto ex eo quod non habet essentiam dependentem ab alio in fieri, vel in esse, vel in utroque simul; hoc autem oritur ex perfectione, quia /Vb 310rb/ essentia omniquaque perfecta est penitus independens. In relativis vero (cuiusmodi sunt personae divinae), non potest sumi ratio ex perfectione huiusmodi, quia eadem perfectio communis est
275 tribus; sed sumitur ex universalitate et primitate principii; per hoc enim repugnat tali personae esse ab alio quocumque, quia si esset ab alio, iam non esset principium universale, nec enim sui esset principium nec illius ad quo produceretur.

Sed nec iste modus dicendi congruus est, ubi enim a posteriori arguitur ad prius demonstrative, contingit quod medium est ratio cognoscendi prius, non tamen est ratio
280 simpliciter ipsius prioris in essendo, sicut patet quod ex non scintillare probatur planetarum propinquitas, nec tamen propinquitatis causa est non scintillare, sed potius e converso. Sed manifestum est quod ex universalitate principii omnium producibilium demonstrative sequitur illud cui hoc competit esse penitus improductum et omnino improductibile; hoc autem est non posterius in essendo, magis enim esse improductum videtur ratio universalis principii respectu
285 omnium aliorum quam e converso. Ergo non apparet ex ista deductione quod innascibilitas fundetur super istam universalitatem.

Praeterea, aut istud universale principium sive fontalis fecunditas, super quam fundatur ingenitum, claudit fecunditatem ad extra respectu creaturarum et fecunditatem duplicem /X
643b/ ad intra respectu personarum simul, aut includit tantummodo fecunditatem ad intra. Non
290 potest dici quod simul includat tres illas fecunditates, quia secundum hoc aliqua notio exigeret pro fundamento potentiam creativam quae tamen communis est tribus; nec potest dici quod claudit duplicem tantum, quia altera illarum, videlicet spirativa fecunditas, communis est Patri et Filio. Et iterum Augustinus dicit, XII *De trinitate*, capitulo 6, quod si Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum – et loquitur de Patre; et pari ratione, si nihil produxisset,
295 nec esset universale principium, nihil prohiberet eum dici ingenitum. Ergo non fundatur innascibilitas super universalitatem principii.

Praeterea, fundamentum privationis est de intellectu privationis, sicut patet quod de conceptu caecitatis est oculus, sed de conceptu innascibilis non est universale principium; immo intelligens personam ingenitam in divinis, non oportet quod intelligat eam esse Patrem, aut
300 spirantem, aut universa creantem; et haec est ratio Augustini. Quare alia notio est ingenitus a genitore, potest enim distincte cognosci prima persona ut ingenita, nec cognoscetur ut Pater. Ergo fontalis fecunditas vel universale principium non est fundamentum negationis per ingenitum importatae. Et si dicatur quod hoc probat quod non sit de formali conceptu ipsius, sed non quin sit fundamentum, dicendum quod immo, quia nullus intelligit caecum quin intelligat
305 oculum, et eodem modo nullus intelligit innascibilem quin innascibilitatis concipiat fundamentum.

Opinio aliorum. Quapropter dixerunt alii quod fundatur ista privatio non in ratione essentiae praecise acceptae, quia essentia est in Filio, et tamen innascibilitas non est in eo, nec etiam
310 ratione paternitatis praecise, potest enim aliquis esse Pater et natus. Sed oritur innascibilitas ratione essentiae sub paternitate, nam quia Pater habet essentiam deter-/Vb 310va/-minantem sibi primam fecunditatem sub prima proprietate, quae est paternitas, ideo fundatur innascibilitas super essentiam concurrente secum prima proprietate personali.

Sed nec istud stare potest, quia vel intelligitur quod totum simul essentia et paternitas
315 fundent innascibilitatem, vel quod essentia mere fundet, nihilominus ut stat sub paternitate. Sed non potest dari primum, quia secundum Augustinum accidit ingenito quod sit Pater, et, e converso, accidit genitori quod sit ingenitus. Nec etiam secundum, quia essentia ut stat sub

paternitate nihil habet ultra essentiam nisi <coincludatur> [concludatur* Vb] secum paternitas. Ergo non potest dici quod fundetur innascibilitas super essentiam, ut stat sub paternitate. /X
320 **644a/**

Quid dicendum secundum veritatem. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione.

Prima quidem quod cum de conceptu innascibilis, prout est notio et sumitur substantive, non
325 sit nisi suppositum simpliciter absque determinatione ad hoc vel ad illud privatum tamen omni
dependentia ad aliquod producens et omni producibilitate passiva, necesse est quod huiusmodi
privatio fundetur in supposito, ex hoc quod omnia quae concurrunt ad ipsum constituendum
sunt a se, nec suam realitatem capientia aliunde; ex hoc enim sequitur quod totum constitutum
330 est aliquid simpliciter improductum, nec est fundamentum sui ipsius, quoniam principia sunt
ratio eorum, quae conveniunt constituto ex illis, et positive et privative. Ex hoc ergo quod
constituentia sunt a se totum constitutum necesse est esse a se et penitus improductum, quod si
aliquod sit suppositum non claudens, nisi essentiam absolutam, oritur quod sit illud suppositum
improductum, ex hoc quod essentia ipsum constituens est a se et improducta. Si vero resultet
335 suppositum ex essentia et ex aliquo alio, tunc si quodlibet illorum sit a se, nec realitatem capiens
aliunde, totum constitutum erit a se et simpliciter improductum.

Secunda quoque propositio est quod applicando privationem quam importat ingenitum ad
personam Patris, ista privatio fundatur super totam personam, oritur autem ex omnibus
constitutivis; nam quia personalitas Patris resultat ex essentia et generare et spirare. Essentia
vero est quaedam res suam realitatem non capiens aliunde, generare etiam est res omnino
340 inelicitia, nec capiens esse ab alio, similiter et spirare est res a se nullo modo aliunde
progrediens, idcirco totum constitutum est simpliciter independens a quocumque productivo, et
ita convenit sibi esse innascibile et ingenitum. Non igitur generare et spirare dant personalitati
Patris quod sit ingenita ex hoc quod sunt principiationes omnium producibilium in divinis, sed
ex hoc quod sunt inelicitia, nec esse capientia aliunde; dato enim quod non essent productiones,
345 sed modi absoluti, aut aliquid aliud constituerent suppositum innascibile, dum tamen essent
realitates habentes esse a se et non aliunde. Unde patet quod accidit eis ut constituunt personam
innascibilem quod importent auctoritatem universalis principii, vel sint fontales fecunditates. Et
hoc est quod /Vb 310vb/ innuit Augustinus, cum dicit quod si Pater non genuisset, nihil
prohiberet ipsum dici ingenitum, dum tamen omnia ipsum constituentia essent realitates a se.

Tertia quoque propositio est quod ponentes generare aut spirare elici in divinis, et esse
350 realitates capientes suum esse ab alio, non possunt salvare suppositum Patris esse penitus
improductum, necessario enim subsistentia Patris, quam huiusmodi realitates constituunt, esse
capiens aliunde, et erit producta. Et ex hoc patet quare suppositum Filii non est improductum,
licet enim in eo sit essentia et spirare, quae sunt realitates a se, nihilominus ibi est generari,
355 quod non est a se, immo realitatem quam habet, capit /X 644b/ ex generare, et ratione huius tota
subsistentia Filii dicitur esse capiens aliunde.

Et in hoc articulus secundus finitur.

Articulus Tertius

360 **An innascibilitas constituat primam personam. Opinio quorundam.** Circa tertium vero
considerandum est quod aliqui dicere voluerunt primam personam in divinis constitui per
innascibilitatem, et non per paternitatem: tum quia innascibilitas dicit modum essendi,
paternitas vero modum communicandi, et ita innascibilitas tamquam prior paternitate videtur
esse modus proprius subsistendi primae personae; tum quia Pater ex hoc videtur generare, quia
365 innascibilis est, sicut e converso Filius generare non potest, quia genitus est; tum quia
innascibilitas competit soli primo divino supposito, non autem paternitas, cum reperiatur in
creaturis. Haec autem opinio fulciri potest rationibus novem superius arguendo inductis.

Quibus non obstantibus minime stare potest. Si enim constituit innascibilitas primam
personam in divinis, aut hoc facit ratione sui formalis quod directe importat, aut ratione sui
370 fundamentalis quod indirecte significat. Sed manifestum est quod primum dari non potest, cum

non importet formaliter nisi negationem sive privationem, prima autem persona non potest constitui in sua personalitate per talem negationem, tum quia realissima est, tum quia personalitas secundae personae et tertiae, quae constituitur per proprietatem positivam (utpote per filiationem vel spirationem passivam) esset nobilior personalitate primae personae, quod
 375 inconueniens est. Nec potest etiam dari secundum quoniam positivum, super quod innascibilitas fundari dicitur non potest esse sola essentia, ut declaratum est; si vero fundamentum illud ponatur fontalis fecunditas seu universale principium, hoc non est aliud quam generare et spirare, et ita prima persona constituetur per ista, non per ingenitum; igitur innascibilitas non potest esse proprietas constitutiva.

380

Opinio aliorum. Propterea dixerunt alii quod innascibilitas fundatur super aliquem modum positivum et absolutum, qui constituit primam personam. Tum quia ingenitum praeintelligitur paternitati, quia si non genuisset Pater, nihil prohiberet eum esse ingenitum, secundum Augustinum. Tum quia fecunditas ad aliquam productionem non intelligitur quasi potentia
 385 proxima, nisi in non habente illam per actum illius /Vb 311ra/ fecunditatis, sicut voluntas non intelligitur fecunda in Spiritu Sancto, pro eo quod habetur in ipso ut communicata per fecunditatem voluntatis, in Patre tamen et Filio, quia non habet voluntatem communicatam sibi per actum voluntatis, intelligitur voluntas ut proximum principium producendi; a simili ergo potentia generandi non intelligitur in Patre ut proximum principium generandi, nisi intelligatur
 390 ut non habita per actum generandi; et per consequens ingenitum praecedit generare et paternitatem in Patre, et sic persona Patris praeintelligitur constituta ipsi paternitati, in quantum concipitur /X 645a/ ut ingenita; constat autem quod est non constituta per negationem quam importat ingenitum; ergo necesse est, quod constituatur per aliquod positivum et absolutum.

Sed nec iste modus est congruus propter ea quae dicta sunt 26 distinctione, ubi probatum est
 395 quod nullum suppositum in divinis potest per absoluta constitui.

Nec motiva istius opinionis procedunt quia ingenitum in communi praecedit paternitatem, sed si accipiatur in speciali persona prima divina constituta per generare ingenitum non praecedit sed sequitur. Et quod additur de fecunditate, dicendum quod procedit ex falsa imaginatione, ac si essent in personis productivae potentiae per quas elicerentur productiones.

400 Non procedunt etiam motiva primae opinionis, quia non est verum quin paternitas sive generare dicat modum subsistendi primae personae; nec est verum quod ideo generet Pater, quia innascibilis est, cum multi nati generent; nec etiam infertur, si paternitas reperibilis est in creaturis, quod primum suppositum non possit constituere, pro eo quod divina paternitas et creata sunt omnino alterius rationis.

405

Opinio Henrici. Et ideo dixerunt alii quod persona prima non constituitur per innascibilitatem, nec etiam per paternitatem in actu, quia ut sic sequitur generare, sed per aptitudinem quae importatur per generativum vel actum generare.

Sed nec iste modus competens est: tum quia procedit ex falsa imaginatione, quasi generare
 410 sit quid elicatum quod praecedat aptitudo seu potentia generandi; tum quia relatio per aptitudinem importata non est realis, cum non sit ad rem in actu, sed ad Filium possibilem, alioquin quilibet homo referetur ad innumerabiles filios, respectu quorum habet aptitudinem generandi; tum quia prima persona est actualissima, unde non debet constitui per aptitudinem sed per aliquid actuale; tum quia non est rationabile quod Filius constituatur per proprietatem
 415 magis actualem quam Pater; tum quia relatio non constituit personam divinam nisi secundum quod est in re, est autem actualissima ut est in re, quia nihil potentiale est in actualissimo, quod est Deus. Non igitur prima persona potest constitui per aptitudinem generandi.

Opinio Scoti. Et idcirco dixerunt alii quod innascibilitas non constituit primam personam, sed
 420 paternitas actualis. Sed tunc est dubium quomodo essentia determinetur ad eam; si enim ex se, non videtur communis aliis personis, quia enim determinatur ad aliquid ex /Vb 311rb/ se, ubicumque sic habet illud, et per consequens esse ut in Filio haberet paternitatem, et Filius esset Pater; si autem ab alio determinetur essentia ad paternitatem, iam non erit Pater prima persona,

quia videtur esse originata vel aliquo modo dependens ab illo, quod essentiam determinat ad
 425 primam proprietatem. Potest autem secundum istos ad hoc dici dupliciter. /X 645b/

Primo quidem quod essentia determinet se, quasi productive ad primam personalitatem, ut
 sint tres productiones secundum triplex principium, nam essentia sub ratione qua determinat se
 ad paternitatem, sub ratione vero qua intellectus ad dictionem et sub ratione qua voluntas ad
 spirationem. Et si argueretur quod secundum hoc erunt tres productiones, una qua Pater
 430 producit, alia vero qua Filius, et alia qua Spiritus Sanctus, et quaereretur de illa qua essentia
 determinat se productive ad Patrem, an esset generatio; videretur enim quod non, cum Pater sit
 ingenitus; dici potest ad hoc quod immo talis productio posset 'generatio' appellari, et productio
 verbi 'dictio', sicut si ignis esset intelligens, generaret igneitate, et diceret intellectu. Et si
 dicatur ulterius quod nihil generat se, dicendum quod verum est totaliter, aliquid tamen producti
 435 potest totum producere, sicut patet in creaturis quod aqua prius calefacta, et postea sibi relicta,
 producit aquam frigidam reducendo se ad frigiditatem; consimiliter in proposito essentia per se
 ens in primo signo in quo relatio prima, videlicet paternitas ab ea pullulat, producit se in prima
 persona relativa, sive magis proprie communicat se illi. Et si dicatur ulterius quod essentia erit
 suppositum, quia actiones sunt suppositorum, et ita erit quartum suppositum in divinis,
 440 dicendum quod omnis forma per se ens, quae non est inhaerens ut accidens vel sicut forma
 substantialis, omnis talis forma potest esse agens; nec tamen erit suppositum, quia non est
 incommunicabilis; et ita essentia, cum sit ens per se, poterit agere, nec tamen erit suppositum
 quartum. Adhuc si dicatur ulterius quod inter producatum et productum est realis distinctio, et ita
 essentia distinguatur realiter a prima persona, dicendum quod in primo signo intelligitur hic
 445 Deus tamquam <per se ens> [per se ens *om.* Vb], et ille producit se Patrem; inter producatum
 autem et productum est realis distinctio, ubi* producatum <est suppositum> [est suppositum *om.*
 Vb]; suppositum namque producatum suppositum, necessario producatum distinctum, quia non
 potest se illi communicare, ens autem per se singulare – quale est hic Deus in primo signo –
 potest producere in quantum per se ens, et communicari productum in quantum non est
 450 suppositum sed communicabile ens; et per consequens non producatum distinctum. Si vero dicatur
 ulterius quod sancti dicunt primum suppositum simpliciter improductum, dicendum quod verum
 est, quia non producatum a supposito, sed non negant quin producatum ab aliquo sui in quantum
 constitutiva proprietates ab aliquo sui, utpote ab essentia dicitur pullulare.

Secundo vero potest solvi secundum istos distinguendo de indeterminatione, est enim aliquid
 455 indeterminatum ad utramque partem contradictionis, et sic essentia non est indeterminata ad
 proprietates personales, nec ad personalitates ipsas; et est alia indeterminatio illimitationis, eo
 modo quo sol est indeterminatus ad omnes par-/Vb 311va/-tes medii illustrandas, non enim
 determinat sibi aliquam, sed potest illustrare omnes, nihilominus ordine quodam, quia /X 646a/
 prius partem propinquiorem, et deinde remotiorem; et similiter anima habet pro perfectibili
 460 adaequato omnes partes corporis, nec determinatur ad unam, quamvis ordine quodam per prius
 cor perficiat quam manum. Unde patet quod loquendo de determinatione adaequationis, anima
 non est determinata ad cor perficiendum, cum cor non sit eius perfectibile adaequatum;
 loquendo vero de determinatione immediationis, anima est determinata ex se ad cor
 perficiendum, quia immediate perficit cor, et partes alias mediante corde. Consimiliter in
 465 proposito essentia divina, ex se est determinata ad primam personalitatem et ad primam
 proprietatem, non loquendo de determinatione adaequationis, quia nata est subsistere non solum
 in prima, immo in tribus personalitatibus adaequate; loquendo vero de determinatione
 immediationis, ex se determinatur ad primam personalitatem, quia immediate ad secundam,
 vero mediante prima a qua producatum, et ad tertiam mediante prima et secunda, quoniam tertia
 470 producatum ab utraque.

Sed iste modus dicendi quamvis quantum ad hoc contineat veritatem quod primam personam
 dicit constitui per generare sive paternitatem, nihilominus in hoc deficit quod essentiam dicit
 determinari ad primam proprietatem se ipsa. Potest enim intelligi quod se determinet
 productive, quasi essentia primam proprietatem ex se pullulando emittat, sicut videtur primus
 475 modus solvendi imaginari, quasi essentia sit substratum et emittat proprietatem, eo modo quo
 aqua calida causat in se frigiditatem; et hoc modo impossibile est quod essentia se determinet

productive, omne enim quod realiter pullulat ab aliquo esse capiens, et suam realitatem ab eo, per necessitatem est aliud realiter ab eo, alioquin sequeretur quod eadem res conduceret se ipsam ad esse, et ita esset antequam esset; et iterum realitas quae capit esse impossibile est quod
 480 sit illa quae non capit esse, alioquin eadem realitas esset producta, et non producta, quod est contradictio, sed proprietates personalis non est distincta res ab essentia; ergo non potest productive pullulare ab ea.

Praeterea, nulla res carens propria unitate, sed fundans omnimodam unitatem et indistinctionem cum aliquo potest emittere pullulando illud cum quo fundat omnimodam
 485 unitatem; nam secundum istos nihil potest producere nisi sit ens per se singulare, et ita distinctum et habens propriam unitatem; sed essentia est res penitus indistincta a proprietate, non enim est alia res, etiam secundum istos, sed tantum formaliter distinguitur, et est realiter eadem, et secundum veritatem nec realiter nec formaliter ponunt in numerum, cum persona sit et formaliter et realiter summe simplex; ergo nihil est dictu quod essentia productive emittat
 490 primam proprietatem, aut quod proprietates pullulet ab eadem.

Praeterea, omne vere genitum potest 'filius' appellari. Sed secundum istos, hic Deus vere generat primum suppositum. Ergo hic Deus est vere pater primi /Vb 311vb/ suppositi, et suppositum primum vere filius eius, et ita sunt duo patres et duo filii in divinis. /X 646b/

Praeterea, si hic Deus productive ad primum suppositum se determinat, necessario inter hunc
 495 Deum et primum suppositum est relatio realis producentis ad productum, et e converso in primo supposito erit relatio producti ad producens, et per consequens oppositae relationes originis erunt inter essentiam et primam personam. Sed relationes originis sunt impossibiles in eodem supposito in divinis, quia qua ratione illae stabunt simul in eodem supposito, eadem ratione paternitas primae personae et filiatio secundae stabunt in eodem supposito, et ita Pater et
 500 Filius erunt unum suppositum, quod omnino impossibile est. Ergo essentia producens primam personam, et prima persona producta erunt duo supposita, et ita erit quartum suppositum.

Et confirmatur quia idem suppositum non potest esse pater et filius secundum Augustinum, *De fide ad Petrum*, capitulo 2. Secundum autem istum modum dicendi essentia esset vere pater primae personae, cum eam produceret et generaret, et prima persona esset filius essentiae; ac
 505 per hoc non esset unum suppositum essentia et prima persona, alioquin idem suppositum esset pater et filius.

Secundo vero posset intelligi quod essentia determinaret se vel formaliter vel quasi subiective ad ipsas proprietates, sicut videtur imaginari secundus modus solvendi. Et adhuc iste modus impossibilis est, nihil enim determinat se ad aliquid, nisi illud ab eo profluat, sicut patet
 510 de sole quod non determinatur ad illustrandum per prius partem aeris sibi propinquiorem nisi quia illustratio profluit ab eo; nec anima ad vivificandum per prius cor, nisi quia operationes vitales fluunt ad cor immediate ab anima, vel saltem actus primus, qui est perficere cor et vivificare est per prius ab anima circa cor; unde quando aliqua sic se habent quod nec unum fluit ab alio, nec aliquid circa alterum fit ab altero, non apparet ibi quomodo unum ad aliud se
 515 determinet. Sed probatum est quod proprietates non fluunt ab essentia, nec essentia a proprietatibus, nec essentia est forma proprietatum ut eas perficiat in aliquo esse, nec subiectum ut eas recipiat in se ipsa. Ergo nihil est dictu quod essentia determinet se per prius ad paternitatem, quia non determinat se ad eam ut eliciat vel producat active, nec perficiat formaliter, nec ut recipiat subiective.

520 **Quid dicendum secundum veritatem.** Restat igitur nunc dicere quod videtur sub duplici propositione.

Prima quidem quod prima persona nullo modo constituitur per innascibilitatem, propter ea quae dicta sunt contra primam opinionem, sed per generare actuale et spirare, sive paternitatem
 525 et spirationem activam, propter ea quae dicta sunt contra opinionem tertiam, et propter dicta superius distinctione 11, ubi ostensum est quod infra personalitatem Patris intrinsece clauditur spirare et generare.

Secunda vero propositio est quod essentia non determinat se ad generare et spirare, nec aliquo modo haec profluunt aut pullulant ab ea, /X 647a/ sed sunt realitates /Vb 312ra/ omnino

530 a se et simpliciter primae; et ideo se ipsis immediate absque determinatione alia essentia,
generare et spirare ad invicem adunantur; et hoc competit eis, non quia essentia tantum sit ratio
huius determinationis, nec generare tantum, nec etiam spirare, sed quodlibet in quantum est res
prima, non habens praecisam unitatem, sed apta nata est cum reliqua fundare unitatem,
535 quaelibet sic partialiter determinatur ad suppositum primum se ipsa; et ita totum suppositum est
simpliciter primum, non egens aliquo quod determinet essentiam ad ipsum aut aliquid quod sit
in eo ad constituendum ipsum.

Nec valet si inferatur quod primum suppositum erit formaliter in secundo, ex quo essentia se
ipsa determinat se ad ipsum, dicendum enim quod non solum determinat se ad primum in
quantum cum generare et spirare est apta nata fundare unitatem eandem, immo et se ipsa
540 determinat se ad secundum suppositum in quantum cum generari est apta fundare aliam
unitatem. Sed quia generari est res non a se sed aliunde capiens esse, videlicet a generare,
idcirco essentia ordine quodam ad secundum suppositum determinatur non quod ille ordo ortum
habeat ab essentia, sed ab ipso generari, quod est res habens ordinem originis ad generare, ut
dictum est. Unde si generari esset res a se in divinis, aequae primo et immediate adunaretur
545 essentia cum ipso ad constitutionem personae Filii, sicut cum generare et spirare ad
constitutionem Patris.

Sed forte dicitur quod impossibile est esse tres res primo primas quin sit devenire ad unam,
quae est simpliciter prima, et secundum hoc generare et spirare ad essentiam reducentur
tamquam ad aliquid primum a quo pullulant et quod determinat se ad illa; dicendum ergo ad hoc
550 quod verum est quod omnia reducuntur ad unum primum, et illud est primum suppositum, sic
quod omnia quae in eo sunt sunt prima simpliciter et improducta; nec tamen tres res primae,
quia non quaelibet est res una per se, nec ponunt ad invicem numerum, sed sunt penitus
indistincta, et unam habentia unitatem. Sic igitur patet quomodo simul et in eodem signo
intelligenda est essentia in persona prima et secunda et tertia; nec in aliquo signo intelligi potest
555 in una quin intelligatur in altera, sed tamen* in ipsa tamquam in illa quae est omnino a se,
quantum ad omnia quae ad constitutionem ipsius concurrunt. In secunda vero tamquam in illa
quae est a prima ratione alterius constitutivi, videlicet generari. In tertia vero tamquam in illa
quae profluit ab utraque; nec iste ordo originis excludit simultatem intelligentiae naturalis, ut sit
in prima, in aliquo signo quin de necessitate in eodem signo intelligatur in aliis duabus.

560 Et in hoc tertius articulus terminetur.

Articulus Quartus

An innascibilitas sit proprietas et notio distincta personae Patris. Opinio quorundam.

Circa quartum vero considerandum quod aliqui dixerunt innascibilitatem ex sua ratione formali
565 non dicere proprietatem seu notionem primae personae, cum personalis proprietas debeat esse
aliquid ad dignitatem pertinens, et formalis ratio innascibilitatis /X 647b/ sit negatio seu
privatio; negatio vero nullam dignita-/Vb 312rb/-tem importet, et ideo solum* est proprietas
primae personae ratione cuiusdam positivi quod connotat, scilicet ratione fontalis plenitudinis
vel auctoritatis universalis principii.

570 Sed hic modus stare non potest, quia Hilarius et Augustinus ponunt innascibilitatem
proprietas distinctam et disparatam a paternitate et communi spiratione. Sed si non esset
proprietas ratione sui formalis, sed propter fontalitem principii quam connotat, non esset
disparata notio et distincta a paternitate et spiratione, sive a generare et spirare; non enim est
aliter principium fontale nisi per generare et spirare, cum in eo non sit aliqua potentialis
575 fontalitas, sed actus principia<n>di puri absque omni potentialitate. Ergo dici non potest quod
innascibilitas sit proprietas ratione fontalis principii quod habet connotare.

Opinio Thomae, parte prima, 33 quaestione, articulo 4, in solutione argumenti primi.

Propterea dixerunt alii quod ingenitus negationem passivae generationis importat; dicit enim
580 Augustinus, V *De trinitate*, capitulo 8, quod tantum valet ingenitus, quantum non Filius, nec
propter hoc sequitur quod ingenitus non debeat poni proprietas Patris, sicut non habere partes
ponitur proprietas puncti, dicimus enim punctum esse cui pars non est.

Sed nec iste modus est congruus, quandocumque enim aliqua aequipollent, de quo praedicatur unum, et reliquum. Sed de Spiritu Sancto vere dicitur quod est non Filius, et tamen
585 non dicitur quod sit ingenuus, sed solus Pater est innascibilis et ingenuus. Ergo non aequipollent.

Praeterea, Augustinus dicit, XV *De trinitate*, capitulo 26, quod ideo solus Pater appellatur ingenuus, quia solus non est de alio, ex quo apparet quod ingenuus privat non solum generationem passivam, ut isti dicunt, immo omne ab alio esse et omnem originem; et per
590 consequens non aequipollent ingenuus, et non Filius.

Nec valet motivum, quia sicut Magister dicit, capitulo 2 istius distinctionis, Augustinus, cum ait quod ingenuus tantum valet quantum non genitus vel non Filius, dixit hoc ostendendo nominis ethymologiam, non autem significatum vel sensum, quia ingenuus plus excludit et privat quam non Filius.

595

Opinio Hervaei et Durandi. Et ideo dixerunt alii quod cum ingenuus dicat privationem omnis originis et essendi quomocumque ab alio, non quidem privationem alicuius quod innatum sit inesse carenti, sed quod innatum est inesse alicui, sicut Deus vel angelus dicuntur incorporei privative, quamvis non sint apti nati esse corporei, sic inquam accipiendi ingenuus est notio
600 propria Patris, omnes enim concedunt quod de ratione notionis sunt tria.

Primum quidem quod soli illi conveniat cuius ponitur notio. Esse autem ingenuus convenit soli Patri, quia illud non potest dici proprie /X 648a/ ingenuus quod per generationem procedit ut Filius, aut generationem supponit ut Spiritus Sanctus, aut per generationem communicatur sicut essentia. Unde restat quod solus Pater, cui ista non competunt, proprie ingenuus dici
605 possit.

Secundo vero est quod faciat differentiam aliquam in esse relativo, et hoc quidem facit ingenuus, non quia ponat relationem, sed quia privat eam; unde genitus et ingenuus differunt penes habere relationem et non habere, et per consequens ingenuus differentiam facit in esse relativo.

Tertium vero est quod sit /Vb 312va/ ad dignitatem pertinens; constat autem quod non esse ab alio ad dignitatem pertinere videtur: tum quia habere naturam ab alio potest alicui convenire modo nobili et etiam modo ignobili, et ideo in non habendo eam ab alio excluditur omnis modus ignobilis; tum quia non habere ab alio quandam primitatem importat, saltem secundum rationem intelligendi, quia licet non sit Pater secundum rem prior Filio, tamen secundum modum
615 intelligendi videtur prior eo in quantum est principium; et similiter in quantum est principium, non de principio secundum nostrum modum intelligendi videtur quandam primitatem habere, et per consequens dignitatem.

Sed nec iste modus videtur conveniens quantum ad hoc quod dicit ingenuus importare secundum modum intelligendi hanc duplicem dignitatem; primam quidem quod privet omnem
620 modum habendi ignobilem, secunda vero quod ponat secundum intellectum prioritatem.

Et primum quidem patet, quia nulla natura, ex hoc quod habetur ab alio, ullam contrahit ignobilitatem, nisi illam quae consequitur ipsam formaliter; si enim natura formaliter sit aequae nobilis per hoc quod erit ab alio, non efficietur ignobilis, ignis enim generans et genitus aequae nobiles sunt in natura, nec generari indignitatem ponit in genito, dum tamen forma ignis
625 participetur ex aequo; cum igitur habere naturam ab alio nullam ignobilitatem importet formaliter, nisi aliunde [quam exesse* ab alio *add.* Vb; quod exceditur ab alio *add.* X] huiusmodi indignitas contrahatur, non apparet quod non habere naturam ab aliquo dignitatem importat.

Secundum etiam patet, non est enim verum quod Pater sit prior Filio secundum nostrum
630 modum intelligendi, cum relativa sint simul natura et intelligibilia; unde simul intelligitur Pater cum Filio, et e converso; quare nec ingenuus ponet aliquam primitatem secundum modum intelligendi nisi primitatem originis quae non est in divinis tantum secundum intellectum, immo realiter; non apparet igitur quomodo ingenuus pertineat ad dignitatem.

635 **Opinio Scoti.** Et idcirco dixerunt alii quod non oportet quod notio seu proprietas personalis importet aliquam dignitatem, sed sufficit quod non dicat indignitatem, quia proprietates personales non dicunt perfectionem nec imperfectionem. Et si omnino instetur quod oportet proprietatem dicere dignitatem non absolutam, sed personalem, possumus dicere quod sicut /**X 648b**/ dignitas est in secunda persona quod habeat principium, ita in prima quod careat
640 principio; et ita <ingenito> [ingenitum Vb] secundum suam rationem privativam potest specialis notio assignari.

Sed nec iste modus sufficere videtur. Primo quidem, cum dicit non oportere quod notio pertineat ad dignitatem, hoc enim est contra illam definitionem vulgatam quae dicit quod persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente.

645 Secundo vero cum dicit non habere principium dignitatis esse in prima persona, et eius oppositum, scilicet principium habere esse dignitatis in secunda, hoc enim absolute pronuntiatur, nec datur ab istis, quae sit ratio huius; unde videretur quod si habere principium est dignitatis, quod non habere non sit dignitatis in quocumque ponatur, vel etiam e converso, cum privatio dignitatis non videatur perfectionem seu dignitatem importare.

650

Quid dicendum secundum veritatem. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub quadruplici propositione.

Prima quidem quod ingenitum dignitatem importat. Ad cuius /**Vb 312vb**/ evidentiam considerandum est quod relativorum, quaedam sunt aequiparantiae quantum ad fundamenta et
655 ad relationes, sicut amicus refertur ad amicum et e converso, quaedam vero sunt aequiparentiae quantum ad fundamenta, non tamen quoad relationes; immo intelligitur una relatio per modum superpositionis, et alia per modum subpositionis, sicut refertur pater ad filium in humanis; quantumcumque enim filius sit aequae nobilis in naturalibus, et aequae perfectus in moribus et prudentia, vel forte perfectior patre, nihilominus non refertur ad patrem secundum
660 aequiparantiam, immo paternitas intelligitur per modum superpositionis, et filiatio ut quaedam subpositio. Quaedam vero sunt relativa inaequiparantiae, et quoad relationes et quoad fundamenta, unde sunt proprie secundum superpositionem et subpositionem, sicut refertur servus ad dominum, et dominus ad servum; sic igitur si loquamur de dignitate quae proprie pertinet ad relationes in quantum non est aliud dignitas quam quaedam superpositio, et
665 indignitas subpositionis relatio, sive auctoritas et subauctoritas, sic possumus dicere in divinis quod Pater et Filius sunt relativa superpositionis et subpositionis et inaequiparantiae relativae, non quidem quoad fundamenta, sed quoad species et modos relationum; et secundum hoc paternitas dignitatem importat, quia est inter species relationum quae continentur sub quodam numero generali, qui appellatur superpositio, filiatio vero quandam subdignitatem seu
670 subauctoritatem, vel subpositionem; et universaliter omne productum habet relationem subpositionis et cuiusdam subdignitatis in ordine ad producens. Quocirca negatio omnis productionis passivae negat omnimodam subpositionem, vel omnem relationem pertinentem ad subauctoritatem et subdignitatem in ordine ad producens; negatio vero subpositionis videtur esse affirmatio superpositionis, et dignitatis cuiusdam, propter quod improductum simpliciter,
675 /**X 649a**/ sive ingenitum dicitur negatio pertinens ad dignitatem relativam, in quantum negat relationem subpositionis omnimodae, quae subdignitatem importat.

Et si dicatur quod secundum hoc persona Filii non constituetur per proprietatem ad dignitatem pertinentem, dicendum quod esse Filium maioris dignitatis est quam esse creatum vel esse plasmatum (sicut vas plasmatur a figulo) vel quomodocumque aliter factum; similiter
680 etiam et esse spiratum inter alios modos passivae productionis est magnae dignitatis, unde filiatio et spiratio sunt relationes dignitatis inter omnes alias quae fundantur super esse productum; non tamen ex hoc tollitur quin filiatio sit quaedam subpositio in ordine ad paternitatem, propter quod persona Patris dicitur habere auctoritatem respectu aliarum personarum; unde et Filius omnem gloriam et omne opus referebat in Patrem.

685 Secunda vero propositio est quod ingenitum seu innascibilitas est ponenda notio, et proprietas personalis inter omnes negationes alias; non enim inspirabilitas aut non-Filius dicuntur esse notiones, quia non privant omnem subpositionem, nam Filius est inspiratus, et

Spiritus Sanctus non-Filius vel non-genitus, non tamen privatur ab eis omnis subpositio in ordine ad producens; innascibilitas autem, quae non est aliud **/Vb 313ra/** quam non esse ab alio, quocumque privat omnem subpositionem simpliciter, unde reddit personam cui tribuitur ab omni subpositione liberam, ut intelligatur talis persona per modum cuiusdam authentici aliquid sibi superpositum non habentis.

Tertia quoque propositio quod innascibilitas est notio distincta a paternitate et communi spiratione. Illa namque proprietas qua concepta persona Patris ut distincta a ceteris innotescit, omni proprietate alia circumscripta, est notio distincta; introductum est enim nomen notionis ab innotescendo, quia sufficienter et distincte facit personam innotescere, unde dicta est notio a notificando personam. Sed circumscripta paternitate et communi spiratione, cum concipimus quendam innascibilem in divinis, et quendam genitum, et quendam spiratum, distincte innotescit nobis prima persona, ita quod per innascibilitatem in conceptu nostro illam distinguimus a ceteris duabus. Ergo innascibilitas non incongrue ab Augustino et Hilario et ceteris doctoribus posita fuit notio specialis; et hoc est quod Augustinus dicit quod non eo concipimus ipsum ingenitum, quia concipimus esse Patrem, nec e converso; unde paternitas non sufficienter exprimit proprietatem Patris nisi addatur innascibilitas, si enim nosset aliquis quod in divinis est Pater, et dubitaret utrum esset genitus vel ingenitus, non noscet eum sufficienter, sed qui novit eum Patrem ingenitum, perfecte novit eum. Unde patet quod est quaedam noscibilitas et notio specialis esse ingenitum circa Patrem.

Quarta demum propositio est quod innascibilitas potest accipi vel in generali pro quocumque supposito improducto, vel in speciali pro tali supposito divino constituto ex essentia et duplici proprietate positiva, generatione scilicet et spiratione. Et si primo modo accipiatur, tunc paternitas et innascibilitas sunt notiones inter se ordinem non habentes; non enim praesupponit innascibilis quod aliquid **/X 649b/** producat ab eo, nec etiam ille a quo alia producuntur oportet quod innascibilis sit, cum et nati generent et aliqui non nati non generent, sicut angeli; unde patet quod innascibilitas sumpta in generali, et paternitas sunt notiones penitus disparatae. Si vero innascibilitas accipiatur in speciali in supposito tali ex essentia et proprietate duplici constituto, sic est posterior secundum rationem paternitate, fundatur enim super eam; unde dicimus Patrem ingenitum, quasi ingenitus determinet Patrem, et similiter spiratorem ingenitum, et Deum ingenitum, quoniam fundatur negatio improducti super hoc quod generare, et spirare, et essentia, quodlibet est res a se non esse capiens aliunde, quoniam si aliquis ex istis esse caperet ab aliquo, iam non esset suppositum constitutum ex his similiter improductum.

Et in hoc quartus articulus terminetur.

Responsio ad obiecta

Ad ea ergo quae superius inducuntur, dicendum est. Ad primum quidem quod persona Patris constituitur fundamentaliter ex essentia, paternitate, et spiratione, in quantum ex ipsis oritur quaedam per se unitas et perseitas tertii modi, ut supra dictum fuit; **/Vb 313rb/** nec est verum quod generare sit posterius per modum eliciti, et profluentis a personalitate Patris, immo clauditur intrinsece infra eam.

Ad secundum dicendum quod innascibilitas non advenit <primo> [primo *om.* V] essentiae quam paternitas, immo essentia, paternitas, et spiratio sunt unum fundamentum innascibilitatis, ut dictum est. Et cum additur quod filiatio est simul cum paternitate, verum est similitate intelligentiae, non tamen originis; et ideo non sequitur quod innascibilitas communicetur Filio, quia fundamentum ipsius, videlicet paternitas, non communicatur sibi, immo potius res opposita paternitati est in Filio, quia generari, quod <non> capit esse aliunde; et ideo repugnat Filio quod innascibilitatem seu ingenitum fundet.

Ad tertium dicendum quod innascibilitas non est proprietas maxime prima. Et quod dicitur quod in resolvendo ultimum est innascibilitas, si loquamur de resolutione personae in constituentia, sic non est verum quod sit ultimum aut primum, in quod resolvatur persona Patris, cum innascibilitas personalitatem eius non ingrediatur per modum constitutivi; si vero loquamur de resolutione personae in personam, donec deveniatur ad ultimam, bene statur in innascibili

740 persona, non tamen in proprietate innascibilitatis, quoniam adhuc restat quaestio: quid sit illud positivum super quod fundatur innascibilitas, quia omnis negatio habet causam.

Ad quartum dicendum quod Augustinus loquitur concipiendo hypostasim ingenitam in generali, quia si excludatur paternitas adhuc remanebit conceptus personae in generali, quae poterit apprehendi ingenita. Sed si loquamur de persona divina in speciali constituta ex essentia
745 et duplici proprietate nullo modo remanebit talis persona ingenita, si paternitas excludatur. /X **650a/**

Ad quintum dicendum quod innascibilitas, etsi exprimat dignitatem, non tamen est aliquid positivum, et ideo non potest primam personam constituere. Et quod additur quod maiorem dignitatem importat quam paternitas, non est verum, cum paternitas sit aliquid positivum. Et
750 quod dicitur quod dignius est non esse ab altero quam alterum esse ab eo, dicendum quod non est verum ubi non esse ab altero fundatur super habitudinem illam per quam aliquid est ab eo, sicut in proposito innascibilitas super generare.

Ad sextum dicendum secundum aliquos quod innascibilitas dicit relationem ingeni ad non genitorem, et hoc videtur Augustinus sentire, V *De trinitate*, capitulo 7, ubi dicit quod sicut
755 Filius ad Patrem et Genitus ad Genitorem refertur, ita non-Filius ad non-Patrem, et non-Genitus ad non-Genitorem; sed hoc nihil est dictu, inter terminos namque negativos non apparet quod sit habitudo aliqua positiva. Et ideo dicendum aliter quod non-Genitus non relinquit relationem quasi negentur termini dicendo non-Genitum et non-Genitorem, et affirmetur relatio inter eos quin potius negatur habitudo omnis originis; et hoc intelligit Augustinus, ait enim quod relative
760 negamus dicendo non-Genitus; sic igitur innascibilitas, etsi non sit relatio positiva, est tamen negatio relationis, propter quod si constitueret personam non daret esse absolutum, sed esse relatum, non positivum, sed negativum. /X **650b/**

Ad septimum dicendum quod non est verum in illo quod non habet esse ab alio et a quo aliud habet esse, quod non esse ab alio /Vb **313va/** sit prius quam a quo* aliud*, nisi a quo aliud esset
765 fundamentum negationis illius quam importat non esse ab alio; sic autem est in proposito, et ideo paternitas praecedit innascibilitatem.

Ad octavum dicendum quod innascibilitas non significat aliquid positivum, quamvis fundetur super positivum; nec est verum quod dicat fontalem primitatem*, ut declaratum est in corpore quaestionis. Quod vero additur quod esse in se est modus essendi positivus in
770 substantia, et per consequens esse a se erit modus positivus subsistendi in Patre, dicendum quod non est verum, esse enim in se non addit ad substantiam aliquid positivum, sed negationem dependentiae quae competit accidenti; nec est simile de esse ab alio, haec enim est vera passiva productio, et de esse a se, quod omnem productionem excludit; nec est verum quod esse a se dicat sufficientiam subsistendi in Patre formaliter, quamvis fundamentaliter exigat eam.

775 Ad ultimum dicendum quod Damascenus non negat quin per paternitatem prima persona constituatur, immo expresse hoc dicit; unde aliquando exprimit quod distinguuntur per ingenerationem, generationem, et processionem, aliquando quod per paternalem, filialem, et processionalem proprietatem, ut patet ibidem.